Quaestiones Ionicas

Eduard Schwartz





I. Proximo anno uobiscum, commilitones humanissimi, de Cadmi Europaeque fabulis confabulatus adeo in uastum illud et ignotum mare Graecae antiquitatis studio diuinandi et coniectandi ablatus sum, ut certum cursum fere perderem neque ei quod promiseram starem, me id ζήτημα esse soluturum quod Herodotus proposuit in libro quarto [45]: ἡ.. Εὐρώπη οὔτε.. γινώσκεται.. οὔτε ὁκόθεν τὸ οὔνομα ἔλαβε τοῦτο οὔτε ὅστις οἱ ἦν ὁ θέμενος φαίνεται, εἰ μὴ ἀπὸ τῆς Τυρίης φήσομεν Εὐρώπης λαβεῖν τὸ ὄνομα τὴν χώρην... ἀλλ' αὕτη γε ἐκ τῆς Ἀσίης τε φαίνεται ἐοῦσα καὶ οὐκ ἀπικομένη ἐς τὴν γῆν ταύτην ἥτις νῦν ὑπὸ Ἑλλήνων Εὐρώπη καλεῖται, ἀλλ' ὅσον ἐκ Φοινίκης ἐς Κρήτην, ἐκ Κρήτης δὲ ἐς Λυκίην. iam quomodo factum sit ut deae antiquae nomen ex fabulis fere oblitteratis in geographiam humanamque rerum ipsarum scientiam perueniret, breui exponam.

Europae deae Telluris nomen ab iis Graecorum gentibus quae post Doriensium immigrationes ad Asiae oram nouas urbes nouamque Ionum nationem condidere, inditum esse apparuit ei terrae quae post oras ab eis occupatas porrigit, Cariae scilicet Lyciaeque. simili ratione Chalcidenses, qui paeninsulam quae ab iis nomen tulit habitabant, adducti esse uidentur, ut in terra continenti quae a septentrione obstabat Europam habitasse fabularentur, quae fabula extat in schol. Rhes. 28: καθάπερ Ἡγήσιππος ἐν τοῖς Παλληνιακοῖς γράφων οὕτως· Κάδμος σὺν τῆι μητρὶ τῆς Εὐρώπης Τηλεφάηι ἐπίει περὶ ἀθήνας [coniecerim ἔπλει περὶ Παλλήνην] καὶ ἐπυνθάνετο Εὐρώπην ἄρχειν [ἐχ compendio quod superscriptum erat oblitterato A] ἐν τῆι Θράικηι καὶ οὕτως ἀφίκετο εἰς τὴν κατ' ἀντιπέραν ἤπειρον. καὶ ἦρχεν ἐν τῆι χώραι ταύτηι πάντων Εὐρώπη [τοῦ ἀνδρὸς ἀπολειφθεῖσα], οὐχ ἡ Φοίνικος, ἀλλ' ἐπιχωρία τις γυνὴ ⟨τοῦ ἀνδρὸς ἀπολειφθεῖσα⟩, ἀφ' ἧς καὶ ἡ ἤπειρος ἅπασα ἡ πρὸς βορέαν ἄνεμον Εὐρώπη κέκληται. atque uel quinto saeculo Thraciam et Macedoniam κατ' ἐξοχὴν Europam esse nominatas Herodotus prodit cum dicit [7, 8 β = 10 β]: μέλλω ζεύξας τὸν Ἑλλήσποντον ἐλᾶν στρατὸν διὰ τῆς Εὐρώπης ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα uel [6, 43] διαβάντες τῆισι νηυσὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἐπορεύοντο διὰ τῆς Εὐρώπης, ἐπορεύοντο δὲ ἐπί τε Ἐρέτριαν καὶ Ἀθήνας. neque praetermittendum uidetur Sarpedonem in Thraciae quoque ora nominis memoriam reliquisse: cf. schol. Ap. Rhod. 1, 211. 216 Rhes. 28 Steph. Byz. p. 557, 11 Herodian. π. μον. λεξ. p. 9, 10 [Soph. frg. 43]. Hes. Phot. s. u. Σαρπηδὼν ἀκτή Zenob. 5, 86 Herod. 7, 58 Strab. 7 p. 331 frg. 52. Denique fuisse cum ea terrae continentis pars quae Peloponneso a septentrione est atque a Graecis habitabatur, Europa appellaretur, poeta hymni in Apollinem Pythium auctor est [247 sq. cf. 287 sq.]:

Τελφοῦσ', ἐνθάδε δὴ φρονέω περικαλλέα νηὸν
ἀνθρώπων τεῦξαι χρηστήριον· οἵτε μοι αἰεὶ
ἐνθάδ' ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας,
ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν
ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε καὶ ἀμφιρύτας κατὰ νήσους..

ut poeta Doriensis oraculum a colonis Doriensibus conditum esse narrauit, ita Doricae gentis principatum ita significauit ut Peloponnesum primo loco poneret, ipsam Graeciam eo nomine appellaret quod non a Graecis omnibus, sed tantummodo ab ipsis Peloponnesiis recte apteque usurpari posset. similiter etiam Herodotus locutus est [8, 44]: οὗτοι μέν νυν Πελοποννησίων ἐστρατεύοντο, οἱ δὲ ἐκ τῆς ἔξω ἠπείρου i. e. Athenienses Megarenses Ambraciotae Leucadii. . . . νησιωτέων δὲ Αἰγινῆται κτλ. sensum igitur non prorsus peruertit Reizius cum pro Εὐρώπην, quod ut intellegeret operam non dedit, ἤπειρον coniecit, sed cauendum est ne hac friuola coniectura in textum recepta uetustum ac praeclarum nominis Europae documentum deleatur.

Terris igitur et continentibus et ad septentrionem uersis a littorum uel insularum incolis nomen Europae indi solebat. neque hoc alienum erat a nominis origine; quid enim mirum deam inferam in terrarum finibus uersus noctem uesperumque, ubi sunt Orci introitus, habitare? uarie uero pro uario situ et eorum qui nominabant et quae nominabantur, nomen usurpabatur, cum antiquo illo tempore parua tantum et uicina certis nominibus distinguerentur, longinqua ac maiora nominibus uarie inuentis late significarentur. multo post Iones uel Milesii cum non solum uisu atque experientia, sed ratione quoque regiones alienas noscere ac definire totiusque terrae claram quandam imaginem et refingere et diuinando constituere coepissent, primum multas terras notas ignotasque in unum complexi paucis quibusdam ac certis nominibus distinxerunt: nihil enim certius quam physicis, non populo, eam ἠπείρου notionem deberi qua totius terrae partes maximae, nulla eorum finium quos homines instituere ratione habita, significentur. sed quamuis acerbe illi contra superstitiones fabulasque antiquitus traditas pugnarent atque audacter omnium rerum naturam atque rationes perspici et posse et debere censerent, per omnes istas physicas rationes acute et noue excogitatas pellucent quasi telae antiquarum fabularum, quas per saeculorum seriem poetae populusque laeta ubertate contexuerunt. neque aliter in terrae partibus constituendis physici rem egere. ut olim poetae solis ortui et summae in caelo stationi — ἠοῖ τ' ἠελίου τε — opposuerunt Orci portas ad ultimam occidentis partem sitas, ita physici terram constare non posse crediderunt nisi ex duabus partibus, altera ad orientem et meridiem sub ipso sole sita, altera ad occidentem et septentrionem frigida et obscura. quae opinio quam maxime confirmari uidebatur eis quae Ionibus et praecipue Milesiis in nauigationibus apparebant. quarum ultimos fines fuisse Nili Phasidisque ostia et ex ipsa historia et ex Pindari elucet testimonio luculento, Xenocratis Agrigentini summam liberalitatem ita describentis [isthm. 2, 39]: οὐδέποτε ξενίαν οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέστειλ' ἱστίον ἀμφὶ τράπεζαν, ἀλλ' ἐπέρα ποτὶ μὲν Φᾶσιν θερείαις, ἐν δὲ χειμῶνι πλέων Νείλου πρὸς ἀκτάν uel ex Euripide [Andr. 650]: ἣν χρῆν σ' ἐλαύνειν τήνδ' ὑπὲρ Νείλου ῥοὰς ὑπέρ τε Φᾶσιν. Medeam in ultimis terrae finibus habitasse dicit Iaso cum in Colchide fuerit [Med. 540]. neque alienus est locus in carmine Alcestidis [112 sq.]:

ἀλλ' οὐδὲ ναυκληρίαν
ἔσθ' ὅποι τις αἴας
στείλας ἢ Λυκίας εἴτ' ἐπὶ τὰς ἀνύδρους
Ἄμμωνος [ἀμμωνιάδας codd.] ἕδρας
δυστάνου παραλύσαι
ψυχάν . .

ubi falso scribunt αἴας et inepta de oraculorum consultationibus hariolantur et ueteres et recentes interpretes, sed nihil aliud dixit poeta nisi Alcestidem ne ab eo quidem seruari posse qui ad ultima et extrema procederet. apte uero saeculo quinto Euripides Lyciae oram pro nauigationis termino posuit, quoniam post Calliae pacem nauibus Atticis ultra Phaselin uel insulas Chelidonias uehi non licebat. at ne sexto quidem saeculo Milesii Phoenicum regiones intrasse, sed intimos maris illius angulos uitasse uidentur ita ut tractus orae quae ab Ionia ad Colchidem et Bosporum Cimmerium porrigit, iis multo magis notus et exploratus fuisse censendus sit. uel hanc igitur ob rem terrarum duas illas partes non per mare magnum, sed per mare Aegaeum et Euxinum distinxerunt praesertim cum nauigantibus regionum quae ad dextram et ad sinistram horum marium sitae sunt, naturam et caelum quam maxime inter se differre appareret. in Macedonia enim et Thracia multoque magis apud Scythas Colchosque hiemes frigidas, caelum saepe obscurum et nubilum, multa alia cognouere ab Asiae ora felici prorsus diuersa. quam felicitatem eo magis animaduertere poterant quo ad Aegyptum Libyamque uecti etiam caloris nimii damna facile uidebant. iam quid mirum a physicis duas terrarum partes eas esse constitutas quas supra dixi, alteram versus occidentem et septentrionem porrigentem, alteram uersus orientem meridiemque? huic, in cuius margine sub caelo optime temperato ipsa Ionia sita erat [cf. Hipp. de aer. aq. loc. 12 p. 54 L. Herod. 1, 142] nomen dabant Asiae ex Lydia Ioniae uicina petitum — conferatis tribum Ἀσιάδα urbis Sardium [Her. 4, 45] —, illam aptius appellare non posse sibi uidebantur quam Europae nomine antiquo et diuino, sed olim terris accommodato septentrionalibus, frigidis, a solis caelique laetitudine remotis. quae distributio quantum apud Iones ualuerit ut clare intellegatis, dissertationem legatis uel potius dissertationis rudera — foede enim lacunis mutilata est — scriptoris illius ingeniosi et uere Ionici cuius libri περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων pars altera ita incipit [12 p. 52]: βούλομαι δὲ περὶ τῆς Ἀσίης καὶ τῆς Εὐρώπης δεῖξαι ὁκόσον διαφέρουσιν ἀλλήλων ἐς τὰ πάντα καὶ περὶ τῶν ἐθνέων τῆς μορφῆς ὅτι διαλλάσσει καὶ μηδὲν ἔοικεν ἀλλήλοισιν. Ionum inuentum uituperatur ab Herodoto perpetuo Ionum obtrectatore, cum scribit [4, 36]: γελῶ δὲ ὁρῶν γῆς περιόδους γράψαντας πολλοὺς ἤδη καὶ οὐδένα νόον ἐχόντως ἐξηγησάμενον, οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ τὴν γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου καὶ τὴν Ἀσίαν τῆι Εὐρώπηι ποιεύντων [corruptum hoc neque scio quomodo emendem] ἴσην. etiam ultra Iones patuisse hanc opinionem ex illis locis apparet quos Berger in libro optimo [Gesch. d. wissensch. Erdkunde der Griechen I p. 52] collegit. poetae enim tragici et Plato, orationis tragicae frequens imitator, saepe Europae Asiaeque nomina composuerunt quasi hae duae partes totum orbem terrarum constituerent: Soph. Trach. 100 Ἅλιον αἰτῶ τοῦτο καρῦξαι τὸν Ἀλκμήνας πόθι μοι .. ναίει ποτ' ... ἢ ποντίας αὐλῶνας ἢ δισσαῖσιν ἀπείροις κλιθείς. Eur. Ion. 1356 πᾶσαν δ' ἐπελθὼν Ἀσίαν Εὐρώπης θ' ὅρους. Tro. 927 Ἥρα θ' ὑπέσχετ' Ἀσιάδ' Εὐρώπης θ' ὅρους τυραννίδ' ἕξειν εἴ σφε κρίνειεν Πάρις. Plat. Tim. p. 24e λέγει γὰρ τὰ γεγραμμένα ὅσην ἡ πόλις ὑμῶν ἔπαυσέ ποτε δύναμιν, ὕβρει πορευομένην ἅμα ἐπὶ πᾶσαν Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν ἔξωθεν ὁρμηθεῖσαν ἐκ τοῦ Ἀτλαντικοῦ πελάγους. Crit. p. 112e οὗτοι ... ἐπὶ πᾶσαν Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν κατά τε σωμάτων κάλλη καὶ κατὰ τὴν τῶν ψυχῶν παντοίαν ἀρετὴν ἐλλόγιμοί τε ἦσαν καὶ ὀνομαστότατοι πάντων τῶν τότε. deinde, quod fieri solet ut quae uiri docti uni naturae et scientiae studio dediti excogitarunt, ea latius propagata ad populorum ciuitatumque controuersias transferantur, huic quoque doctrinae accidit. cum enim ex seditione Ionum belli per duo fere saecula perpetui Persarum Graecorumque initium factum esset, primo a sophista quodam Ionico illa doctrina publice proposita est, Asiam Persarum

Graecorum Europam esse, quam doctrinam tangit Herodotus [1, 4]. ex eadem doctrina Sophocles [frg. 1018] Atossae Aeschyleae narrationem illam de duabus mulieribus Graeca et barbara [Pers. 181 sq.] immutasse uidetur, ut refert Aeschyli scholiasta, cuius fidem ab Herodiano personato confirmatam Nauckius irrogare non debuit. denique saeculo quarto illam terrarum distributionem in ipsum pacis regiae instrumentum receptum esse Isocrates testis est, hoc ipsum grauiter increpans [4, 179]: τῆς γῆς ἁπάσης τῆς ὑπὸ τῶι κόσμωι κειμένης δίχα τετμημένης καὶ τῆς μὲν Ἀσίας, τῆς δ' Εὐρώπης καλουμένης, τὴν ἡμίσειαν ἐκ τῶν συνθηκῶν εἴληφεν, ὥσπερ πρὸς τὸν Δία τὴν χώραν νεμόμενος, ἀλλ' οὐ πρὸς ἀνθρώπους τὰς συνθήκας ποιούμενος. de carminibus et illo quod Simonidis [AP VII 296 Aristid. de quatt. uir. p. 209 Dind.] fertur et ab Ephoro [Diod. 11, 62] primo adhibitum est, et eis quae lapidibus inscripta sunt [Kaibel EG 768. 844], hoc loco taceo quippe quae disputatione egeant longiore. Eratosthenem uero Ionicam terrae bipartitionem correxisse cum pro partium septentrionalis et meridionalis finibus mare internum montemque Taurum proposuerit, sufficiat adnotasse.

Restat ut qua ratione Iones terrarum continentium fines constituerint, exponam, quoniam de hac re Hugo Berger in libro praeclaro summisque laudibus digno paullo infelicius egisse mihi uidetur. terrarum ipsarum, non populorum, ueri ac naturales fines non esse credebantur nisi aut mare ipsum aut ea flumina quae maris uicem tenerent, quippe quae ex Oceano quasi ἀπόρρωγες in mare quoddam internum fluerent et perpetuum tractum aquarum terris interponerent. neque mirum ei genti quae in mari fere habitarit, ueram ἠπείρου formam uisam esse insularem. denique, ut fieri solet in omnibus scientiae humanae primordiis, lex analogiae quam plurimum apud illos ualebat. qualem igitur finem uersus occidentem fretum Gaditanum esse nouerant, talem in ultimo Ponti Euxini angulo quaesiuere et cum inuenire non possent, flumen Phasidis usque ad Oceanum terras interrumpere censuere. ita Phasidem Europae Asiaeque terminum esse dicit Aeschylus [frg. 191]: τῇ μὲν δίδυμον χθονὸς Εὐρώπης μέγαν ἠδ' Ἀσίας τέρμονα Φᾶσιν. paulo post extitere qui Asiae fines usque ad Tanaidem et Maeotin promouerent [Her. 4, 45 Hipp. de. aer. aq. loc. 13 p. 56. 17 p. 66 Agathem. 1, 3]. iam uero Tanain ex Oceano fluere Scymnus contendit [schol. Ap. Arg. 4, 284], cuius opinionis ut ita dicam progenies est altera illa sententia iterum iterumque repetita de Maeoti et mari Caspio per Tanain conexis, de qua conferatis Bergerum p. 66. per Phasidem autem in Oceanum posse perueniri Argonautarum exemplo doceri uidebatur. cuius opinionis duplex testimonium extat in scholiis Apollon. Arg. 4, 259. 284, e quorum emendatione tota haec pendet quaestio. ipsa adscribo emendata:

us. 259 Ἡρόδωρος ἐν τοῖς Ἀργοναύταις [frg. 55] φησὶ διὰ τῆς αὐτῆς ⟨κατ⟩ελθεῖν θαλάσσης, δι' ἧς ἦλθον εἰς Κόλχους. Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος [frg. 339] ἐκ τοῦ Φάσιδος διελθεῖν εἰς τὸν Ὠκεανόν, εἶτα ἐκεῖθεν εἰς τὸν Νεῖλον, ὅθεν εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν. τοῦτο δὲ ὁ Ἐφέσιος Ἀρτεμίδωρος ψεῦδός φησιν εἶναι. τὸν γὰρ Φᾶσιν μὴ συμβάλλειν τῶι Ὠκεανῶι, ἀλλ' ἐξ ὀρέων καταφέρεσθαι. τὸ αὐτὸ καὶ Ἐρατοσθένης ἐν γ̄ Γεωγραφικῶν φησι. Τιμάγητος δὲ ἐν ᾱ Περὶ λιμένων τὸν μὲν Φᾶσιν * * ⟨τὸν δὲ Ἴστρον⟩ καταφέρεσθαι ἐκ τῶν Ῥιπαίων [κελτικῶν cod.] ὀρῶν, ἅ ἐστι τῆς Κελτικῆς, εἶτα ἐκδιδόναι εἰς Κελτῶν λίμνην, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς δύο σχίζεσθαι τὸ ὕδωρ καὶ τὸ μὲν εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον εἰσβάλλειν, τὸ δὲ εἰς τὴν Κελτικὴν θάλασσαν, διὰ δὲ τούτου τοῦ στόματος πλεῦσαι τοὺς Ἀργοναύτας καὶ ἐλθεῖν εἰς Τυρρηνίαν. κατακολουθεῖ δὲ αὐτῶι καὶ Ἀπολλώνιος. Ἡσίοδος [frg. 88] δὲ καὶ Πίνδαρος ἐν Πυθιονίκαις [4, 25] καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λύδηι [frg. 56] διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φασιν ἐλθεῖν αὐτοὺς εἰς Λιβύην καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος ⟨παρα⟩γενέσθαι.

us. 284 τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν (οὕτω δὲ εἶπεν ἀκολουθῶν Αἰσχύλωι ἐν Λυομένωι Προμηθεῖ [frg. 197] λέγοντι τοῦτο), γενόμενον δὲ μεταξὺ Σκυθῶν καὶ Θραικῶν σχίζεσθαι καὶ τὸ μὲν εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν ἐκβάλλειν ῥεῖθρον, τὸ δὲ εἰς τὴν Ποντικὴν θάλασσαν ἐκπίπτειν, τὸ δὲ εἰς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον. Σκύμνος δὲ ἐν τῆι [ι]ξ Περὶ Εὐρώπης αὐτὸ μόνον φησὶν ἀπὸ ἐρήμων φέρεσθαι τὸν Ἴστρον. Ῥίπαια δὲ ὄρη ἐν ταῖς ἀντολαῖς [?], ὡς Καλλίμαχος [frg. 215]· Ῥιπαίου πέμπουσιν ἀπ' οὔρεος ἧχι μάλιστα. Ἐρατοσθένης δὲ ἐν τρίτωι Γεωγραφικῶν ἐξ ἐρήμων τόπων ῥεῖν, περιβάλλειν δὲ νῆσον Πεύκην. οὐδεὶς δὲ ἱστορεῖ διὰ τούτου τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἔξω Τιμαγήτου ὧι ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος. ὁ μὲν γὰρ Σκύμνος αὐτοὺς διὰ Τανάιδος πεπλευκέναι ἐπὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν, ἐκεῖθεν δὲ εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἐληλυθέναι. καὶ παρεκβολεύεται ὡς ἄρα ἐλθόντες ἐπὶ τὴν ἤπειρον οἱ Ἀργοναῦται ἐπὶ στρωτήρων ἐκόμισαν τὴν Ἀργὼ μέχρις οὗ ἐπὶ θάλασσαν παρεγένοντο. Ἡσίοδος [frg. 87] δὲ διὰ Φάσιδος αὐτοὺς εἰσπεπλευκέναι λέγει. Ἑκαταῖος δὲ * * ⟨Ἀρτεμίδωρος siue Ἐρατοσθένης δὲ⟩ ἐλέγχων αὐτὸν ἱστορεῖ μὴ ἐκδιδόναι εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Φᾶσιν· οὐδὲ διὰ Τανάιδος ἔπλευσαν, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτὸν πλοῦν καθ' ὃν καὶ πρότερον, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις [frg. 504] ἱστορεῖ. καὶ Καλλίμαχος * *

Hesiodum antiquissimum auctorem Argonautas per Phasidem in Oceanum nauigantes, tum ad Libyae oram exteriorem uenientes nauemque humeris per terram usque ad mare internum ferentes fecisse ex Pindari imitatione planum fit: cf. us. 211 ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτεν ἤλυθον . . 251 ἔν τ' Ὠκεανοῦ πελάγεσσι μίγεν πόντωι τ' Ἐρυθρᾶι . . 26 δώδεκα δὲ πρότερον ἁμέρας ἐξ Ὠκεανοῦ φέρομεν νώτων ὕπερ γαίας ἐρήμων εἰνάλιον δόρυ. ii igitur loci scholiorum qui ad Hesiodum pertinent non est cur mutentur, modo teneatis altero scholio alteram Hesiodeae narrationis partem esse omissam. praeterea facile animaduertetis Scymnum nihil mutasse nisi quod antiquae narrationi pro Phaside Tanain induxerit, sine dubio geographiae mutatae ratione habita. iam uero magna quaestio oritur de Hecataeo, utrum multo ante Eratosthenem antiquam narrationem ex meliore illius isthmi notitia, qui inter Pontum Euxinum et mare Caspium porrigit, improbauerit an non modo Phasin, sed Nilum quoque cum Oceano cohaerere contenderit. ac primum quidem constare mihi uidetur eam emendationem qua haec opinio restituatur, alia qua cui illam sententiam ex uerbis traditis elicere libuerit, multo esse faciliorem. tum uero Herodotus [2, 21] quo loco Graecorum opiniones de Nili inundatione recenset, inter Thaletem et Anaxagoram tertium quendam Graecum ponit qui pessime omnium dixerit ἀπὸ τοῦ Ὠκεανοῦ ῥέοντα αὐτὸν ταῦτα μηχανᾶσθαι, τὸν δὲ Ὠκεανὸν γῆν περὶ πᾶσαν ῥεῖν. hunc Hecataeum esse putabant fere omnes, negat Berger [p. 107 sq.] mira quadam et contorta ratiocinatione. certe Ionem quendam tangi probatur loco illo libri quarti [36] quem supra exscripsi. at non Graeci cuiusdam sed sacerdotum Aegyptiorum ista opinio de Nilo fuit, siquidem Agatharchidi [ap. Diod. 1, 37, 7] ulla fides habenda est. minime; quaecunque enim rationes ad Oceanum pertinent, naturam atque originem Graecam quam apertissime produnt et certum obstat Herodoti testimonium [2, 19]: τούτων ὦν πέρι οὐδενὸς οὐδὲν οἷός τε ἐγενόμην παραλαβεῖν [παρὰ del. Krüger] τῶν Αἰγυπτίων, ἱστορέων αὐτοὺς ἥντινα δύναμιν ἔχει ὁ Νεῖλος τὰ ἔμπαλιν πεφυκέναι τῶν ἄλλων ποταμῶν. neque uero Herodotum tam praefracte Aegyptios quicquam de Nili natura scire fuisse negaturum, nisi Graecus quidam scriptor ab ipso impugnatus Aegyptiorum testimonium adhibuisset, ipse Bergerus [p. 109] concessit. Hecataeum autem ab Herodoto notari et acerbissime quidem cum non Aegyptiorum testimonio, sed poetarum somniis fidem eum tribuisse diceret, Hermannus Diels [Herm. 22 p. 435] acutissime exposuit.

Sed etiam certius progredi licet. Herodotum initio libri alterius Hecataeo obloqui, unam Aegyptum inferiorem, τὸ Δέλτα, nominanti Aegyptum, per Gutschmidtii [op. 1 p. 40] et Dielesii [l. c. p. 423] operam constat. sed huius opinionis auctorem ab eo non fuisse diuersum qui per Nilum Asiam Libyamque diremerit, ex locis Herodoteis clarissime apparet [2. 15. 16]: εἰ ὦν βουλόμεθα γνώμῃσι τῇσι Ἰώνων χρῆσθαι τὰ περὶ Αἴγυπτον οἵ φασι τὸ Δέλτα μοῦνον εἶναι Αἴγυπτον ..... τὰ δὲ ἄλλα λεγόντων τῆς Αἰγύπτου τὰ μὲν Λιβύης, τὰ δὲ Ἀραβίης εἶναι, ἀποδεικνύοιμεν ἂν τούτῳ τῷ λόγῳ χρεώμενοι Αἰγυπτίοισιν οὐκ ἐοῦσαν πρότερον χώρην ...... εἰ δὲ ὀρθή ἐστιν ἡ γνώμη τῶν Ἰώνων, Ἕλληνάς τε καὶ αὐτοὺς Ἴωνας ἀποδείκνυμι οὐκ ἐπισταμένους λογίζεσθαι, οἵ φασι τρία μόρια εἶναι γῆν πᾶσαν, Εὐρώπην τε καὶ Ἀσίην καὶ Λιβύην. iam tota Hecataei ratiocinatio ex tenebris et obscuritate emersit. postquam enim Libyae, imprimis Libyae uersus occidentem sitae natura Graecis et praecipue Ionibus magis magisque innotuit, fuerunt qui Libyam propter terrae caelique diuersitatem ab Asia dirimendam esse putarent. quorum in numero erat Hecataeus quippe qui de Libya accuratissime egisset librumque illum, quo mundum descripsit, non in duo, sed in tres partes diuidisset Εὐρώπην Ἀσίην Λιβύην. ad hanc tamen distinctionem cum certo ac naturali fine inter Asiam Libyamque constituto opus esset, ut Phasis uel Tanais Asiam, ita Nilus Libyam insulam facere atque, ut illi, et ipse ex Oceano profluere censebatur. hanc igitur opinionem Eratosthenes significat a Strabone [1 p. 65] ita exscriptus — eadem ex Eratosthene uerbosius, sed non accuratius repetiit Arrianus [anab. 3, 30, 9] — περὶ τῶν ἠπείρων .. γεγονέναι πολὺν λόγον καὶ τοὺς μὲν τοῖς ποταμοῖς διαιρεῖν αὐτάς, τῷ τε Νείλῳ καὶ τῷ Τανάϊδι, νήσους ἀποφαίνοντας. suam igitur opinionem quam de Nilo habebat ut illustraret, Hecataeus expeditionis Argonauticae fabulam adhibuit, Ionum more illo usus quo fabulas et spernebant et ratiocinationibus suis ut pro documentis essent, accommodabant. quae omnia adeo inter se concinunt, ut non uideam quo iure scholii us. 259 testimonium improbare liceat, et scholio us. 284 ipsa Hecataei uerba excidisse coniciam praesertim cum fabulae Hesiodeae aptissime addatur Hecataei argumentatio qua Argonautas ipsa naui non tantum intrasse sed etiam exiisse ex Oceano docetur. neque tamen hanc opinionem totam ab Hecataeo inuentam esse contendo, sed eam antiquitus traditam, tum ab eo confirmatam et auctam esse concludo ex Herodoti uerbis [4, 45], per quae haud scio an iniuria malitiam quandam spirare sentiam: οὐδ᾽ ἔχω συμβαλέσθαι ἐπ᾽ ὅτευ μιῇ ἐούσῃ γῇ ὀνόματα τριφάσια κεῖται ἐπωνυμίας ἔχοντα γυναικῶν καὶ οὐρίσματα αὐτῇ Νεῖλός τε ὁ Αἰγύπτιος ποταμὸς ἐτέθη καὶ Φᾶσις ὁ Κόλχος, οἱ δὲ Τάναιν ποταμὸν τὸν Μαιήτην [corrupta] καὶ πορθμήια τὰ Κιμμέρια λέγουσιν, οὐδὲ τῶν διουρισάντων τὰ ὀνόματα πυθέσθαι. Sophoclem uero neque ueterum fabulis neque Hecataeo adstipulatum esse non mirum, quoniam teste Herodoto ab Atheniensibus Periclis aetate Ionum ingeniosis sed temerariis inuentis paullum fidei habebatur, de qua re conferatis moneo Bergeri dissertationem in hac parte egregiam et felicem; neque explicatu difficile cur Herodorus, Brysonis sophistae pater et rationi pragmaticae omnino deditus, eas fabularum solutiones reiecerit quas olim Iones Hecataeusque inuenerant. ceterum Ionum opinio per saeculum quartum perdurauit. Euthymenes enim Massaliota Thaletis et Hecataei opiniones ita coniunxit ut mare externum etesiarum flatibus Nili fontibus intrudi diceret [anon. de Nilo Aet. 4, 1, 2 p. 385a 1 Sen. quaestt. natt. 4, 2, 22], ipsumque se mare dulce et crocodilis hippopotamisque plenum, cum ultra columnas Herculis secundum Libyae oram nauigasset, uidisse testatus est. de cuius aetate etsi nihil certi constat, tamen post Herodotum et ante Ephorum fuisse uidetur quippe qui primus eum et commemorarit et oppugnarit,

si fide digna sunt quae Aristides dicit [48 p. 471, 21 Dind.]: ὦ χαριέστατε Εὐθύμενες, εἰ ταῦτ᾽ ἀληθῆ Ἔφορος λέγει σοι φάσκων δοκεῖν. Ephoro autem ut multa alia, ita huius notitiam Aristoteles debuit, qui de eo haec habet [p. 195 ed. min. fragm. Ros.] εἰσὶ δὲ οἳ λέγουσιν αὔξειν τὸν ποταμὸν δι᾽ ἐτησίας ταῖς πηγαῖς ἐμπιπτούσης τῆς ἔξω θαλάσσης. eodem fere tempore uel paullo post Artaxerxes Ochus, uir inter Persarum reges unice ingeniosus, cum Aegyptiis omni modo bellum inferre uellet Niloque unico terrae nutritore priuare, a uiris Graecis sine dubio multa audiuit de conexu quo Nilus cum mari externo sine cum Indo coniungeretur, nec multum defuit quin Indum auerteret ut Nilum exsiccaret [cf. Aristot. l. c. p. 193 sq.]. quam opinionem uel Alexandro imposuisse Nearchus [Strab. 15, p. 696 Arr. anab. 6, 1] auctor est.

II. Quod ea quae prooemio Herodotus exponit, sophistae Ionico deberi [p. 5] supra dixi, erunt inter uos qui mirentur. ipse enim siue Persas siue Poenos auctores affert [1 Περσέων μέν νυν οἱ λόγιοί φασι 5 ταῦτα μέν νυν Πέρσαι τε καὶ Φοίνικες λέγουσι], qui alia atque Graeci rettulerint [2 λέγουσι Πέρσαι, οὐκ ὡς Ἕλληνες]. praeterea ipsa narratio in Persarum fauorem composita est et id quam acutissime, cum quod primos Asianos mulierem Graecam rapuisse initio conceditur, id postea dubium esse probetur. tamen ueram et genuinam Persarum opinionem hanc fuisse non licet credere quippe qui suo regi deorum filio omnia ab ipsis diis subdita esse putarint illumque pro impio et inimico habituri fuerint qui de regio imperio controuersiam iuris mouerit. Graecorum erat tales quaestiones mouere; illos non mirum iterum iterumque disputasse utri, Persae an Graeci, iure belligerauerint, sicut postea Thucydides de iuris controuersiis inter Peloponnesios et Athenienses — hoc enim significat αἰτίαι quod ridicule pro causis sumunt qui nunc Thucydidis librum defendere malunt quam intellegere — accuratissimam inquisitionem instituit. at cum Herodoto res nobis est, non cum Pausania uel Aeliano; ille certe se Persarum Poenorumque opiniones referre putauit. ut igitur Persas Poenosque talia saeculo quinto locutos esse concedam, quaecunque dixerint, ea ad unum omnia a Graecis eos accepisse dico, neque a popularibus sed ab homine acuto et argumentationum sophisticarum perito: nemo enim Graecorum ad barbaros illo tempore proficiscebatur nisi uel exules uel sophistae uel ei quibus utrumque nomen apte indi posset. neque desunt eiusmodi sophistarum uestigia: latent enim et ne latent quidem, nisi aliis locis, certo in hac argumentatione [4]: μέχρι μὲν ὦν τούτων ἁρπαγὰς μούνας εἶναι παρ᾽ ἀλλήλων, τὸ δὲ ἀπὸ τούτου Ἕλληνας δὴ μεγάλως αἰτίους γενέσθαι· προτέρους γὰρ ἄρξαι στρατεύεσθαι ἐς τὴν Ἀσίην ἢ σφέας ἐς τὴν Εὐρώπην. τὸ μέν νυν ἁρπάζειν γυναῖκας ἀνδρῶν ἀδίκων νομίζειν ἔργον εἶναι, τὸ δὲ ἁρπασθεισέων σπουδὴν ποιήσασθαι τιμωρέειν ἀνοήτων, τὸ δὲ μηδεμίαν ὤρην ἔχειν σωφρόνων. Helenam non inuitam esse abductam post Stesichorum multi dixerunt neque ex hac re quicquam concludere ausim, etsi sophistas praecipue Helenam accusandam sibi sumpsisse Euripidis Troades et Gorgiae declamatio docent. sed Graecos quod propter mulierem libidinosam Asiae bellum intulissent, stultitiae incusare, hoc erat sophistarum qui fabulas et gloriam maiorum ita in contemptum uerterunt ut ex rerum ueritate metirentur et metiendo delerent. atque, ne meram coniecturam me proferre putetis, eadem increpatio belli Troiani redit apud Euripidem [Andr. 605]: κἄπειτ᾽ ἐκείνης οὕνεχ᾽ Ἑλλήνων ὄχλον τοσόνδ᾽ ἀθροίσας ἤγαγες πρὸς Ἴλιον· ἣν χρῆν σ᾽ ἀποπτύσαντα μὴ κινεῖν δόρυ, κακὴν ἐφευρόντ᾽, ἀλλ᾽ ἐᾶν αὐτοῦ μένειν μισθόν τε δόντα μήποτ᾽ εἰς οἴκους λαβεῖν. quae uero in Andromacha obiter tetigit Euripides, ea late et fuse in Telepho exposuisse uidetur. ex frg. enim 722 et 723 sub finem fabulae Agamemnonem et Menelaum rixantes esse inductos

planum fit neque Helenae pepercisse alterum fratrem documento sunt anapaesti hi ἴθ' ὅποι χρήζεις· οὐκ ἀπολοῦμαι τῆς σῆς Ἑλένης εἵνεκα. praeterea in Aristophanis Acharnensibus bellum Peloponnesiacum propter meretricum quarundam raptus ortum esse Dicaeopolis iocose narrat et in ea quidem oratione qua Telephum Euripideam acerrime notari constet. etiam haec igitur Telephi parodia esse uidetur. Steinium certe grauiter lapsum esse cum Herodoti prooemium ab Aristophane in ridiculum uerti putaret, Ernestus Mauss [Herm. 22 p. 590] probauit nec minus probauit Herodotum illa omnia ex libro quodam scripto et a Graeco sophista scripto desumpsisse. si enim Herodotus ipse ex Persa aliquo uel Poeno illa audiuisset, certum huius rei testimonium addidisset. num uero sophista iste Persas Poenosque per fraudem induxerit an ab illis ea audiuerit quae ab ipso didicerant quaeque audire uolebat, hoc discerni neque poterit unquam neque interest. at falso Maass de dialogo cogitauit cuius nullam uestigium extat, neque talem dialogum uel omnino eiusmodi librum anticum ab Aristophane quippe qui Atheniensibus et aequalibus fabulas scripserit, castigatum esse probabile mihi quidem uidetur. certe si illum notaturus erat, multo acrius in hominem Graecum pro Persis disputantem inuectus esset.

Neque uero ex hoc solo uestigio disputationes quinto saeculo extitisse apparet ab hominibus Graecis secundum Graecorum rationes in Persarum fauorem uel omnino de Persarum rebus scriptas. 1, 122 Cyrum a muliere cui nomen fuerit a cane deriuatum, nutritum et ex laudibus quibus Cyrus iterum iterumque illum extulerit, famam de cane eius nutrice ortam esse exponitur: τραφῆναι δὲ ἔλεγεν ὑπὸ τῆς τοῦ βουκόλου γυναικός· ἤιέ τε ταύτην αἰνέων διὰ παντός, ἦν τέ οἱ ἐν τῶι λόγωι τὰ πάντα ἡ Κυνώ. οἱ δὲ τοκέες παραλαβόντες τὸ ὄνομα τοῦτο, ἵνα θειοτέρως δοκῆι τοῖσι Πέρσηισι περιεῖναί σφιν ὁ παῖς, κατέβαλον φάτιν ὡς ἐκκείμενον Κῦρον κύων ἐξέθρεψεν. ἐνθεῦτεν μὲν ἡ φάτις αὕτη κεχώρηκε. habetis Graeculum incredulum, miraculis infestum, Persarum fabulas iisdem pragmaticis rationibus soluentem quibus Hecataeus Graecorum [cf. e. g. frg. 346. 349 schol. Eur. Or. 872]. atque ut Hecataeus se ueritatem nouam non mendacia tradita narraturum esse gloriabatur [frg. 332]: τάδε γράφω ὥς ἐμοὶ δοκεῖ ἀληθέα εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε*) καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσί, ita iste quisquis fuit se uera, non fabulas in maiora et gloriosa auctas esse traditurum [Her. 1, 95] edixit. quae uerba praecipue ad miracula de Cyri infantia narrata spectare certum est et hac de causa bonus Herodotus se istam narrationem ceteris praetulisse ipse confitetur. grauissimum uero est hoc quoque loco auctores τοῦ ἐόντος λόγου non eos ferri qui fuere, Graecos uel Iones, sed Persas ipsos: ὡς ὦν Περσέων μετεξέτεροι λέγουσιν οἱ μὴ βουλόμενοι σεμνοῦν τὰ περὶ Κῦρον ἀλλὰ τὸν ἐόντα λέγειν λόγον, κατὰ ταῦτα γράψω. atque Persarum sermonis illum sophistam peritum fuisse planum fit loco de nomine mulieris illius [1, 110] συνοίκει δὲ ἑωυτοῦ συνδούληι, ὄνομα δὲ τῆι γυναικὶ ἦν τῆι συνοίκει, Κυνὼ κατὰ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, κατὰ δὲ τὴν Μηδικὴν Σπακώ· τὴν γὰρ κύνα καλέουσι σπάκα Μῆδοι, de quo loco recte iudicauit A. Bauer [SB der Wien. Akad. 1882 p. 539 sq.].

9, 122 Cyrus Persas monuisse fertur ne in terram fertiliorem mitioremque migrarent; fore enim ut dominationem amitterent: οὕτω δὲ αὐτοῖσι παραίνει κελεύων

---

*) Cf. Herod. 1, 75 ὡς δὲ ἀπίκετο ἐπὶ τὸν Ἅλυν ποταμὸν ὁ Κροῖσος, τὸ ἐνθεῦτεν, ὡς μὲν ἐγὼ λέγω, κατὰ τὰς ἐούσας γεφύρας διεβίβασε τὸν στρατόν· ὡς δὲ ὁ πολλὸς λόγος Ἑλλήνων, Θαλῆς οἱ ὁ Μιλήσιος διεβίβασεν et Hippocr. de art. 9 p. 54 Gomp. ἔστι γὰρ τοῖσι ταύτην τὴν τέχνην ἱκανῶς εἰδόσι τὰ μὲν τῶν νοσημάτων οὐκ ἐν δυσόπτωι κείμενα καὶ οὐ πολλά, τὰ δὲ οὐκ ἐν εὐδήλωι καὶ πολλά.

παρασκευάζεσθαι ὡς οὐκέτι ἄρξοντας, ἀλλ' ἀρξομένους· φιλεῖν γὰρ ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων μαλακοὺς ἄνδρας γίνεσθαι· οὐ γάρ τοι τῆς αὐτῆς γῆς εἶναι καρπόν τε θωμαστὸν φύειν καὶ ἄνδρας ἀγαθοὺς τὰ πολέμια. eiusmodi ratiocinatio propria erat eorum hominum qui omnium rerum naturam quaererent, quibus omnia naturae deberi uiderentur, qui hominem ipsum nihil esse putarent nisi animal natura procreatum atque ex soli patrii natura omnia et uitia et uirtutes deducens; tales autem homines ne inter Graecos quidem illius saeculi ulli fuere nisi physici Ionici. quorum opinionem breuiter atque acute edictam inuenietis in libello περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων [24 p. 90 L.]: εὑρήσεις ἐπὶ τὸ πλῆθος τῆς χώρης τῇ φύσει ἀκολουθέοντα καὶ τὰ εἴδεα τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς τρόπους. hanc ipsam ut rationem quam plurimis argumentis probarent, Iones illi mores gentium barbararum non minus diligenter quam regionum proprietates, naturam animalium et arborum plantarumque et cetera quae θωμάσια dixere obseruarunt. ceterum ipsa illa sententia quam Cyrum Herodotus proferentem facit, in libro quem commemoraui redit [12 p. 54 L.]: ἔχει δὲ κατὰ τὴν Ἀσίην οὐ πανταχῆ ὁμοίως, ἀλλ' ὅση μὲν τῆς χώρης ἐν μέσωι κεῖται τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ, αὕτη μὲν εὐκαρποτάτη ἐστὶ καὶ εὐδενδροτάτη ..... τὸ δὲ ἀνδρεῖον καὶ τὸ ταλαίπωρον καὶ τὸ ἔμπονον καὶ τὸ θυμοειδὲς οὐκ ἂν δύναιτο ἐν τοιαύτηι φύσει ἐγγίνεσθαι οὔτε ὁμοφύλου οὔτε ἀλλοφύλου, ἀλλὰ τὴν ἡδονὴν ἀνάγκη κρατεῖν.

Persarum mores describuntur 1, 131 sq. quae initio contra Graecorum superstitionem dicuntur Πέρσας .. οἶδα ... ἀγάλματα καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμωι ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσιν, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖν, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς κατά περ οἱ Ἕλληνες εἶναι, ea quam apertissime siue Xenophanem [ap. Clem. strom. 7, 4 p. 841] siue alium quendam philosophum contra uolgares superstitiones declamantem produnt. postea pueros antequam quinque annos nati sint, apud Persas patri in conspectum non uenire refertur et causa additur [136]: ἵνα ἢν ἀποθάνηι τρεφόμενος, μηδεμίαν ἄσην τῶι πατρὶ προσβάληι. atqui Euripides [Med. 1081 sq. cf. Alc. 882. 903] ubi de miseriis quae liberorum causa hominibus subeundae sunt disputat, hos esse μόθους λεπτοτέρους aperte dicit Antiphontisque sophistae de eadem re extat nitida ne dicam fucata oratio [frg. 130]. historiolam quoque quae de Thalete et Solone apud Plutarchum [Sol. 10] legitur, afferrem utpote a sophista quodam saeculi quinti lepide fictam, nisi Hermippus pessimae fidei auctor esset. denique narrationem illam [3, 118 sq.] de Intaphernae uxore, quae Sophocli tantopere placuit, praetermitti nolim. a sophista enim acute excogitata esse uidetur ut quam uim habeant συγγένεια et κῆδος appareat.

Quod 3, 38 Darium in Indorum Graecorumque legatis experimentum fecisse refertur quo omnes homines legibus traditis seruire summamque νόμου potentiam esse probaret, id sophistarum arti deberi ne ullo quidem eget argumento. hoc unum animaduertatur eam sententiam cuius probandae causa historiola inuenta est: εἰ γάρ τις προθείη πᾶσι ἀνθρώποισι ἐκλέξασθαι κελεύων νόμους τοὺς καλλίστους ἐκ τῶν πάντων νόμων, διασκεψάμενοι ἂν ἑλοίατο ἕκαστοι τοὺς ἑωυτῶν· οὕτω νομίζουσι πολλόν τι καλλίστους τοὺς ἑωυτῶν νόμους ἕκαστοι εἶναι, iisdem fere uerbis sed etiam acutius conceptam extare in una ex illis disputatiunculis quas initio saeculi quarti sophista quidam, ni fallor Heracleota, dialecto Dorica conscripsit [p. 216 Or.]: οἶμαι δ' αἴ κά τις τὰ καλὰ εἰς ἓν κελεύηι συνενεῖκαι πάντας ἀνθρώπως ἃ ἕκαστοι νομίζοντι, καὶ πάλιν ἐξ ἀθρόων [τοι] τὰ αἰσχρὰ λαβῆν ἃ ἕκαστοι ἄγηνται, οὐδὲν ⟨κα⟩ καλλειφθῆμεν, ἀλλὰ πάντας πάντα διαλαβῆν.

Qua ratione Deioces ex munere iudicis astute fiduciam gentis suae meruerit, auctoritatem pedetemptim propagauerit, ad dominationem peruenerit, denique hanc

dominationem urbe condita domo regia extructa satellitibus circumdatis caerimoniis aulicis institutis firmauerit, ita acute et lepide 1, 96 sq. enarratur ut hanc narrationem a sophista de rebus publicis disputante inuentam esse censeam, ut quomodo per ipsam iustitiam libertas in dominationem mutari possit probetur, quamquam me firma et certa huius meae opinionis argumenta afferre non posse ipse confiteor. hoc certe quam maxime dignum est quod notetur, in ista narratione non inueniri illum libertatis imperiique popularis amorem quo poetae Attici et ipse Herodotus studiosus populi Atheniensium fautor praecellunt, sed magis callidum studium ipsas res cognoscendi artesque eas discendi quibus homines non inuiti et facili opera regantur, id studium dico cuius praeclara exempla praebent Thucydides Critias eiusmodi homines. ipsius uero imperii regii quale apud Persas more patrio erat, defensio optima proponitur in dialogo illo celeberrimo quem tres homines nobiles Persas post Magi interitum habentes Herodotus [3, 80 sq.] facit. quas orationes ab ipso Herodoto inuentas esse non posse, sed ex libro scripto desumptas esse quippe quas ipse Herodotus contra dubitationes aliorum acriter defenderet [6, 43], Ernestus Maass [Herm. 22, p. 502] mihi quidem ita probauit ut dubitatio non relinqueretur, nec minus egregie effictas eas esse demonstrauit a sophista quodam, ut quod discrimen inter rerum publicarum formas intercederet, planum fieret. cum uerbis πλῆθος δὲ ἄρχον πρῶτα μὲν ὄνομα πάντων κάλλιστον ἔχει, ἰσονομίην apte Maassius contulit Eur. Med. 125 sq.; nam sophistarum erat initium argumentationis ex nominibus facere [cf. Eur. Phoen. 499 Hipp. de nat. hom. 5 p. 40]; illis enim ueritatem ipsam inesse post Heraclitum et Protagoram omnibus sophistis aut dicere licebat aut negare. ceterum annotare non praetermittam, etsi non idem, simile tamen nominum naturam cognoscendi studium in mira illa de Persarum nominibus propriis expositione [1, 139] prodi. quae uero contra unius dominationem dicuntur apud Herodotum: νόμαιά τε κινεῖ πάτρια καὶ βιᾶται γυναῖκας κτείνει τε ἀκρίτους, ea quam accuratissime repetit Theseus Euripideus [Suppl. 429 sq.]: οὐδὲν τυράννου δυσμενέστερον πόλει, ὅπου τὸ μὲν πρώτιστον οὐκ εἰσὶν νόμοι, κρατεῖ δ' εἷς τὸν νόμον κεκτημένος αὐτὸς παρ' αὑτῷ . . . . καὶ μὴν ὅπου γε δῆμος αὐθέντης χθονός, ὑποῦσιν ἀστοῖς ἥδεται νεανίαις, ἀνὴρ δὲ βασιλεὺς ἐχθρὸν ἡγεῖται τόδε . . . τί . . παρθενεύειν παῖδας ἐν δόμοις καλόν, τερπνὰς τυράννοις ἡδονὰς ὅταν θέλῃ. leges et instituta Atheniensium Euripides defendit, imperium populare quale Athenis saeculo quinto erat, apud Herodotum ab Otane ita describi: πλῆθος . . πάλῳ μὲν ἀρχὰς ἄρχει, ὑπεύθυνον δὲ ἀρχὴν ἔχει [cf. Aesch. Pers. 213], βουλεύματα δὲ πάντα ἐς τὸ κοινὸν ἀναφέρει, dudum ante Maassium constitit: addiderim haec quoque: δήμου ἄρχοντος ἀδύνατα μὴ οὐ κακότητα ἐγγίνεσθαι· κακότητος τοίνυν ἐγγινομένης ἔχθεα μὲν οὐκ ἐγγίνεται τοῖσι κακοῖσι, φιλίαι δὲ ἰσχυραί· οἱ γὰρ κακοῦντες τὰ κοινὰ συγκύψαντες ποιεῦσι contra ἑταιρίας optimatium Atticorum scripta uideri. neque mirum siquis saeculo quinto rerum publicarum formas et species descripturus erat, eum Atheniensium rempublicam pro popularis imperii exemplari optimo habuisse, regem Persarum pro optimo dominationis singularis. sed hoc sane mirum Graecum hominem Graecarum rerum peritum eam occasionem talis dialogi ex multis quae praesto erant, elegisse qua dominationi singulari palmam tribuere cogeretur. neque enim recte uiri docti hunc dialogum uel in reipublicae Atheniensium laudem uel ita compositum esse dixerunt ut nulla reipublicae forma ceteris praeferretur, immo sophista et optimatium et populi potentiam magis uituperauit quam laudauit, regii uero imperii laudes inconcussas et indubitatas reliquit atque eo progressus est, ut oxymoro uere sophistico ipsam libertatem unius dominatione et recuperari et

sernari posse contenderet et patriis legibus ciuitatum liberarum patriam regis Persarum potestatem opponeret: κόθεν ἡμῖν ἡ ἐλευθερίη ἐγένετο καὶ τεῦ δόντος; κότερα παρὰ δήμου ἢ ὀλιγαρχίης ἢ μουνάρχου; ἔχω τοίνυν γνώμην ἡμέας ἐλευθερωθέντας διὰ ἕνα ἄνδρα τὸ τοιοῦτο περιστέλλειν χωρίς τε τούτου πατρίους νόμους μὴ λύειν ἔχοντας εὖ· οὐ γὰρ ἄμεινον. ceterum ne haec quidem narratio sine accurata rerum Persicarum notitia composita est, quoniam interregnum illud quinque dierum quod Persae post regis mortem indicere solebant [Sext. Emp. adu. math. 3, 33 Stob. flor. 44, 41 Maass. l. c. p. 583] commemoratur. iam ut quae inuenta sunt singula, omnia in unum colligantur, ab Herodoto multa de Persis ita narrata esse apparuit ut rationum sophisticarum uestigia certa adsint et ea quidem quae ad Herodotum ipsum referri non possint, sophistam uero illum uel sophistas illos et sermonis rerumque Persicarum satis peritos fuisse, quamobrem Herodotus tantam fidem illis narrationibus tribuit, et Persis contra Graecos et praecipue Athenienses fauisse. iam igitur umbrae euadunt louum illorum qui odio contra Atheniensium dominationem imperiumque populare incensi, sicut Timocreo Rhodius, a Persarum partibus steterunt et ut gloriam Graecorum Atheniensiumque obscurarent, Persarum instituta mores superstitionem sophistica arte laudauerunt atque ita quidem ut sine fraude sine decepti ipsorum Persarum testimonium adhiberent, sicut olim Hecataeus sacerdotes Aegyptios suarum ipsius opinionum auctores protulerat [cf. Diels. Herm. 22 p. 433 sq.]. nomina uero illorum hominum si quaeritis, obliuione obruta iacent semperque iacebunt: neque enim is sum qui morem nunc sollemnem secutus nomina non tradita facili opera per meram diuinationem ex saeculorum obliuione eruam.

III. Huius moris egregium specimen est ἕρμαιον illud de Protagora quod nuper omnibus ampullis effusis proclamatum est [Sitzungsber. d. Wien. Akad. d. Wiss. 120]. res ipsa ita se habet. sub finem saeculi quinti uel initio saeculi quarti, certe post Herodicum Selymbrianum extitit sophista quidam cui non artificibus per captationes dialecticas solito more illudere placeret, sed defendere artem medicam inter ipsos medicos a uolgi imperiti et nimia sperantis castigationibus. quas castigationes uel illo tempore multis saeculis ante poetae Francogalli lusus immortales frequentes fuisse et ex rerum natura probabile est et ipsi medici auctores sunt: e. g. conferatis lepidum illum locum libri περὶ διαίτης ὀξέων [3 p. 240 L.]: καί τοι διαβολήν γε ἔχει ὅλη ἡ τέχνη πρὸς τῶν δημοτέων μεγάλην ὡς μηδὲ δοκεῖν ὅλως ἰητρικὴν εἶναι· ἔν γε τοῖσιν ὀξέσι τῶν νοσημάτων τοσόνδε διοίσουσιν ἀλλήλων οἱ χειρώνακτες ὥστε ἃ ὁ ἕτερος προσφέρει ἡγεύμενος ἄριστα εἶναι, ταῦτα νομίζειν ἤδη τὸν ἕτερον κακὰ εἶναι καὶ σχεδὸν ἂν κατά γε τὸ τοιόνδε τὴν τέχνην φαῖεν ὡμοιῶσθαι τῇ μαντικῇ, ὅτι οἱ μάντιες τὸν αὐτὸν ὄρνιθα, εἰ μὲν ἀριστερὸς εἴη, ἀγαθὸν νομίζουσιν εἶναι, εἰ δὲ δεξιός, κακόν. homo ille erat pusilli ingenii, scientiae non multae. postquam sententiam illam proposuit, ea quae non essent ne cogitari quidem posse, quam sententiam saeculo quinto et quarto ab omnibus sophistis in triuiis et compitis decantatam esse Gorgiae disputatione περὶ τοῦ μὴ ὄντος Platonis Theaeteto Sophista Euthydemo Aristotelis Topicis quam planissimum fit, primo satis callide ludit in notionibus τύχη εὐτυχίη ἀτυχίη, tum non de ipsius artis medicae rationibus disserit, sed sicut rabula de foro tempus terit aegrotorum stultitiam incusando et querendo de tegumentis naturalibus corpori humano circumdatis uisuique obstantibus, denique speciei causa paucissima de arte medendi exponit et ea quidem satis inscite. huncce libellum nuper extitit qui iniuste et inique neglectum esse diceret non quo uolgaris sophistarum generis praeclarum specimen praeberet uel ad

sermonem Ionicum cognoscendum utilissimus esset, sed ipsum auctorem hominem fuisse mire ingeniosum, saeculo longe superiorem, oratorem ui quadam diuina auditores quasi inebriantem, de arte dialectica, de scientia naturali, de uniuersa philosophia, ne dicam de toto genere humano optime meritum. neque ignoto homini hanc tantam gloriam esse tribuendam, sed quin hic libellus uerus et genuinus fetus esset ingenii Protagorae, inter peritos non posse dubitari. obstupui cum haec legerem. quod Protagorae stilum uindex ille Protagorae agnoscere sibi uisus est, neque de eo ex paucissimis reliquiis iudicari posse respondeo et propter stilum solum libros certo cuidam auctori ubiudicari posse, nunquam adsciscí nisi summo erroris periculo. deinde sententiam illam quam sophista iste nescio unde desumpsit, res quae non sint eas ne cogitari quidem posse, eandem esse contenditur quam Protagoras initio libri sui posuit, hominem omnium rerum esse mensuram. quas sententias ut non minore similitudine inter se coniunctas esse concedo quam omnes sophistarum illius saeculi ratiocinationes, ita sic easdem esse ut eiusdem hominis esse debeant, uehementer nego. altera enim ex acuta sensuum et mentis humanae obseruatione orta est, deinde ita concepta ut quasi ratio philosophica esset libertatis omnibus ciuibus Atticis sine discrimine concessae, altera tota nititur in conclusione quadam dialectica et ex notione τοῦ ὄντος deriuata. denique ex sophistae uerbis quae leguntur p. 54, 8: τὰ μὲν οὖν κατὰ τὰς ἄλλας τέχνας ἄλλος χρόνος μετ' ἄλλου λόγου δείξει etiam ceteras artes ab illo defensas esse concluditur. concedo, etsi eis quae p. 42, 12 leguntur scriptorem non de se ipso loqui efficitur; sed utut explicantur, ex his locis firmum testimonium contra Protagoram ducitur. qui cum omnia omnium hominum iudicia ad ueritatem idem ualere et contra omnia quamuis certa uiderentur disputari posse censuerit, cum imprimis contra artes et artifices disputasse probabile est, quoniam quicunque artis se peritum esse dicit, is se rem aliquam iis certe melius nouisse dicit qui artem eam non didicerunt. neque probabile tantum hoc est, sed certum fit testimonio Platonis. qui quo loco dialogi Sophistae [p. 232b] antilogicos id unum sibi proposuisse demonstrat, ut contra omnia et de omnibus sine certa rerum scientia etiam contra peritos [p. 233a πρός γε τὸν ἐπιστάμενον αὐτὸς ἀνεπιστήμων ὤν] disputent, etiam contra singulum quemque artificem disputationes a Protagora conscriptas extare adnotat [p. 232d]: τά γε μὴν περὶ πασῶν τε καὶ κατὰ μίαν ἑκάστην τέχνην ἃ δεῖ πρὸς ἕκαστον αὐτὸν τὸν δημιουργὸν ἀντειπεῖν, δεδημοσιωμένα που καταβέβληται γεγραμμένα τῷ βουλομένῳ μαθεῖν. — τὰ Πρωταγόρειά μοι φαίνῃ περί τε πάλης καὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν εἰρηκέναι. ne quis in locutione αὐτὸς ἕκαστος offendat, hos locos satis habeo afferre: hymn. in Apoll. 163 φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος φθέγγεσθαι. Herod. 3, 82 αὐτὸς γὰρ ἕκαστος βουλόμενος κορυφαῖος εἶναι γνώμῃσί τε νικᾶν ἐς ἔχθεα μεγάλα ἀλλήλοισι ἀπικνέονται. 8, 10 ἅμιλλαν ἐποιεῦντο ὅκως αὐτὸς ἕκαστος πρῶτος νῆα Ἀττικὴν ἑλὼν παρὰ βασιλέος δῶρα λάψεται. 8, 123 πᾶς τις αὐτῷ ἑωυτῷ ἐτίθετο τὴν ψῆφον αὐτὸς ἕκαστος δοκέων ἄριστος γενέσθαι. Thuc. 1, 105 μάχης γενομένης ἰσορρόπου πρὸς Κορινθίους διεκρίθησαν ἀπ' ἀλλήλων καὶ ἐνόμισαν αὐτοὶ ἑκάτεροι [cf. Krügeri aduotationem] οὐκ ἔλασσον ἔχειν ἐν τῷ ἔργῳ. Aeschyl. Prom. 948 καὶ ταῦτα μέντοι μηδὲν αἰνικτηρίως, ἀλλ' αὔθ' ἕκαστα φράζε. Aristoph. Lysistr. 1100 ἄγε δή, Λάκωνες, αὔθ' ἕκαστα χρὴ λέγειν. scilicet Plato usum sermonis secutus αὐτόν adiecit, ut temeritatem sophistae notaret qui et ipsis artificibus de ipsa eorum arte non generatim modo, sed singillatim contradicere auderet. in his geometras, qui summum artis certitudinem prae se ferunt, fuisse altero harum Protagorae disputationum probatur testimonio quod extat in Aristotelis Metaphysicis [B 2 p. 998a 3]. haec omnia dudum nota et trita non tam longe exposuissem, nisi loci Platonici

uindex ille Protagorae eam interpretationem proposuisset ut Protagoras non contra, sed pro artibus disputasse diceretur. qua in interpretatione, ut taceam de argumentationis conexu et de Aristotelis testimonio, neque αὐτόν locum habet neque ἕκαστον; una enim est ars antilogicorum, non multae. quid ille [p. 182]? *„Dass irgend Jemand darauf verfallen konnte, Platos Worte anders zu deuten, dies war mir (ich gestehe es) niemals in den Sinn gekommen. Allein Schleiermacher und Hieronymus Müller, Heindorf und Stallbaum übersetzen und erklären den ersten Satz in der That so, als ob ganz andere Worte vor uns stünden .... Die vereinigte Autorität dieser Männer müsste uns imponiren, wenn auch nur Einer von ihnen den leisesten Versuch gemacht hätte, seine Auslegung zu rechtfertigen. Allein nichts Derartiges ist geschehen. Der Sophistenhass hat hier den Interpreten gespielt, und die Grammatik hatte das Nachsehn! Dass ἃ δεῖ πρὸς ἕκαστον αὐτὸν τὸν δημιουργὸν ἀντειπεῖν so viel ist als ἃ δεῖ αὐτὸν τὸν δημιουργὸν ἀντειπεῖν πρὸς ἕκαστον, wem braucht man das zu sagen? αὐτὸν wird jedoch in jenen Uebersetzungen einfach als nicht vorhanden betrachtet, und die Erklärer zeigen zwar, wie sie die Stelle verstanden wissen wollen, verrathen aber mit keinem Worte ihre grammatische Auffassung derselben."* ipsa uerba exscripsi, ne calumniari uidear.

Pauca addam de locis quibusdam ipsius libelli quos editor non recte tractauit. in fine prooemii haec leguntur [p. 42, 12]. τοὺς μὲν οὖν ἐς τὰς ἄλλας τέχνας τούτωι τῶι τρόπωι ἐμπίπτοντας οἷσι μέλει τε καὶ ὧν μέλει [οἱ δυνάμενοι] κωλυόντων· ὁ δὲ παρεὼν λόγος τοῖς ἐς ἰητρικὴν ἐπιπορευομένοις [οὕτωσ ἐμπορευομένοισ M] ἐναντιώσεται. οὕτως recte ab editore repudiatum est, sed falso ἐμπορευομένοις receptum quod uocabulum siue iter facere siue negotiari significat, ad notionem cauillandi uexandi insultandi transferri nequit. quod uero optimo codice A traditur, ἐπιπορευομένοις, ne hoc quidem seruari potest; neque enim de itinere per regionem quandam faciendo agitur. scripsit sophista ἐμπεριπερευομένοις. quod uetustum et genuinum sermonis Ionici uocabulum ut multa alia in sermonem uolgarem aetatis recentioris, ni fallor a rhetoribus Asianis, receptum est, ut Cicero in confabulatione familiari cum Attico eo usus est [I 14, 4]: *ego autem ipse, di boni! quo modo ἐνεπερπερευσάμην nouo auditori Pompeio! si unquam mihi περίοδοι, si καμπαί, si ἐνθυμήματα, si κατασκευαὶ suppeditauerunt, illo tempore* et Epictetus dictionem incomptam et sordidam affectans studiose arripuit [II 1, 34]: καὶ νῦν καιροῦ καλοῦντος ἐκεῖνα δείξεις ἐπελθὼν καὶ ἀναγνώσῃ καὶ ἐμπερπερεύσῃ; — ἰδοὺ πῶς διαλόγους συντίθημι. — μή, ἄνθρωπε, ἀλλ' ἐκεῖνα μᾶλλον κτλ.

p. 44, 1 γινώσκεται τοίνυν δεδιδαγμένων [ita A rectissime, δεδειγμένων M] εἴδη [ἤδη codd.] τῶν τεχνέων καὶ οὐδεμία ἐστὶν ἥ γε ἔκ τινος εἴδεος οὐχ ὁρᾶται. grauissimi momenti est ut uocabulum εἶδος recte explicetur. et εἶδος et ἰδέη uocabula Ionum propria fuisse uidentur. certe oratores Attici iis non utuntur praeter Isocratem, quem tamen haec uocabula ex rhetorum Ionicorum disciplina sumpsisse constat, et singularem quendam locum Aeschinis; ubicunque ab Aristophane ponuntur, mihi quidem parodia latere uidetur. significatur utroque id quod oculorum uisui subiacet, ita ut specie externa, forma, figura uerti possit saepissime. Sed quomodo artes oculis apparent? aut ualde fallor aut ita ut per artes omnes opera fiant cuiusque propria et uisibilia. εἴδη igitur τῶν τεχνέων sunt artium non species, sed specimina et idem fere ualent atque τὰ τῶν τεχνῶν παραδείγματα uel etiam ἔργα, sicut ipse hic sophista dicit [p. 46, 5]: ἐν ὧι γὰρ ἐπέτρεψαν αὑτῆι σφέας καὶ ἐπίστευσαν, ἐν τούτωι αὐτῆς καὶ τὸ εἶδος ἐσκέψαντο καὶ τὴν δύναμιν περανθέντος τοῦ ἔργου ἔγνωσαν. haec igitur loci quem supra exscripsi, ratio est: quaecunque oculis uidentur et mente cognoscuntur, sunt; nam quae non sunt, neque uidentur neque cognoscuntur. artium

postquam edoctae sunt, opera sunt uisibilia et ea quae nisi ad artem quandam certam et propriam referri nequeant; per haec igitur opera ipsae artes uisui subiacent: ergo sunt. pergit scriptor: οἶμαι δὲ ἔγωγε καὶ τὰ ὀνόματα αὐτὰς διὰ τὰ εἴδεα λαβεῖν· ἄλογον γὰρ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων ἡγεῖσθαι τὰ εἴδεα βλαστάνειν καὶ ἀδύνατον. rectissime, nam ab eis quae per eas fiunt, artes nomen accipiunt uelut σκυτοτομική πλαστική ζωγραφική κυβερνητική γεωμετρική ἰητρική. secuntur uerba a librariis corrupta: τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα νομοθετήματά ἐστιν, τὰ δὲ εἴδεα οὐ φύσεως νομοθετήματα, ἀλλὰ βλαστήματα. inepte editor φύσιος post βλαστήματα transposuit quasi de speciebus naturalibus, non de artis siue speciebus siue speciminibus sermo esset. omnino φύσεως notionem qua uoltis ratione inseratis, semper sententiam turbabitis quae nihil continere debet nisi artium specimina non ab hominibus constitui ut nomina, sed ex ipsis artibus gigni. iam uero mire accidit ut eodem uocabulo φύσεως alterius quoque loci sententia inconcinna et obscura fiat, eius dico qui legitur p. 42, 5: τὸ δὲ λόγων οὐ καλῶν τέχνῃ τὰ τοῖς ἄλλοις εὑρημένα αἰσχύνειν προθυμεῖσθαι . . . οὐκέτι συνέσιος δοκεῖ ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον εἶναι, ἀλλὰ κακαγγελίη μᾶλλον φύσιος ἢ ἀτεχνίη· μούνοισι γὰρ δὴ τοῖς ἀτέχνοισιν ἡ ἐργασίη αὕτη ἁρμόζει. uerba illa quae sola difficultatem praebent, ab editore belle sane et docte ita uertuntur: *dies erscheint mir . . . . als ein Merkzeichen übler Naturanlage oder als Unkunde.* utinam addidisset qua ratione φύσιος κακαγγελίη pro κακῆς τινος φύσεως τεκμήριον poni potuerit. primo κακαγγελίην pro λοιδορία esse sumendum uel Galenus nouit et ex ipso conexu sententiarum apparet, cum in eo totum uersetur prooemium ut aduersarii non argumentis medicinam refellere, sed conuiciis uexare probentur [cf. p. 42, 1 αἰσχροεπεῖν, 6 αἰσχύνειν διαβάλλοντα. 15 διὰ τοὺς ψέγειν ἐθέλοντας]. at conuiciari potest is quoque qui artis peritus est, siquidem dolo malo agit, sed ne hoc quidem ut aduersariis concedatur, pergitur μούνοισι γὰρ δὴ τοῖς ἀτέχνοισιν. se ipsum igitur scriptor corrigit; quod ut planum fiat, scribo κακαγγελίη ⟨ἢ⟩ μᾶλλον . . . [ἢ] ἀτεχνίη. iam quid latet in φύσιος? ut idem remedium utriusque loci eidem corruptelae adhibeatur, proposuerim κυρίως et scripserim p. 42, 9 ἀλλὰ κακαγγελίη ⟨ἢ⟩ μᾶλλον κυρίως [ἢ] ἀτεχνίη et p. 44, 6 τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα νομοθετήματά ἐστιν, τὰ δὲ εἴδεα οὐ κυρίως νομοθετήματα, ἀλλὰ βλαστήματα.

Vt uero ad uocabulum εἶδος redeam, an non per argumentationis tantum conexum, sed etiam per usus obseruationem significatio illa quam modo proposui uocabuli εἶδος stare possit, quaeretis. huius certe libelli auctor sibi constat. quae p. 46, 3 leguntur: τὸ μὲν γὰρ τῆς τύχης εἶδος ψιλὸν οὐκ ἐβουλήθησαν θεήσασθαι, ἐν ᾧ τῇ τέχνῃ ἐπέτρεψαν σφέας αὐτούς. ὥστε τῆς μὲν ἐς τὴν τύχην ἀναφορῆς ἀπηλλαγμένοι εἰσί, τῆς μέντοι ἐς τὴν τέχνην οὐκ ἀπηλλαγμένοι, ita uertenda sunt: ipsius enim fortunae neque arti commixtae exemplum uidere noluerunt etc. p. 48, 12 νῦν δὲ φαίνονται τῶν ἰητρῶν οἱ μάλιστα ἐπαινεόμενοι καὶ διαιτήμασιν ἰώμενοι καὶ ἄλλοισί γε εἴδεσιν uocabulo εἴδη medelas i. e. specimina artis medicae significari certum est. pergitur: ὅπου οὖν οὐδὲν οὔτ᾽ ἐν τοῖς ἀγαθοῖσι τῶν ἰητρῶν οὔτ᾽ ἐν τῇ ἰητρικῇ αὐτῇ ἀχρήιόν ἐστιν, ἀλλ᾽ ἐν τοῖσι πλείστοισι τῶν τε φυομένων καὶ τῶν ποιευμένων ἔνεστιν τὰ εἴδεα [τῶν θεραπειῶν καὶ τῶν φαρμάκων], οὐκ ἔστιν οὐδενὶ τῶν ἄνευ ἰητροῦ ὑγιαζομένων τὸ αὐτόματον αἰτιήσασθαι ὀρθῷ λόγῳ. ita scriptor argumentatur ut bonos medicos ipsamque artem nihil male agere dicat: siquis autem etiam sine medico ualetudinem recuperarit, hoc ea de causa factum esse quod medelae fere omnes per remedia aut per uiuendi rationem fiant, quae ut recte adhibeantur casu quoque euenire possit. siquis autem hunc usum huius sophistae peculiarem esse putauerit, in grauem errorem inciderit. praetermitto Aeschinis locum [1, 116]: δύο δέ μοι τῆς κατηγορίας εἴδη

λέλειπται ubi accusationis specimina uel capita significantur, praetermitto Aristophanem [Plut. 317] εἶδος pro carmine, artis musicae specimine, ponentem: latissime enim haec uocis εἶδος significatio in antiquorum rhetorum disciplina patet. ibi enim inde a Thrasymachi Gorgiaeque aetate uocabulis εἶδος aut ἰδέα omnia orationis ornamenta et suadelae remedia notabantur quippe quae artis oratoriae propria et praeclarissima specimina essent. antiquissimum, ni memoria me fallit, testimonium extat in Platonis Phaedro p. 272 a ταῦτα δ' ἤδη πάντα ἔχοντι, προσλαβόντι καιροὺς τοῦ πότε λεκτέον καὶ ἐπισχετέον βραχυλογίας τε αὖ καὶ ἐλεινολογίας καὶ δεινώσεως ἑκάστων τε ὅσ' ἂν εἴδη μάθῃ λόγων, plurima apud Isocratem Gorgiae in hac re fidum asseclam. ut legitur 15, 183 [cf. 13, 16]: ἐπειδὰν γὰρ λάβωσι μαθητάς, οἱ μὲν παιδοτρίβαι τὰ σχήματα τὰ πρὸς τὴν ἀγωνίαν εὑρημένα τοὺς φοιτῶντας διδάσκουσιν, οἱ δὲ περὶ τὴν φιλοσοφίαν ὄντες τὰς ἰδέας ἁπάσας αἷς ὁ λόγος τυγχάνει χρώμενος, διεξέρχονται τοῖς μαθηταῖς uel 12, 2 [cf. 2, 48. 9, 9. 15, 11. 47] (λόγους) πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν. ita uero huius uocabuli orator amans est ut non de artis oratoriae tantum exemplis utatur, sed simpliciter de exemplo, ut 15, 74 καὶ νῦν ὅσ' οὐ μόνον μικροῖς μέρεσιν ἀλλ' ὅλοις εἴδεσι προειλόμην χρῆσθαι πρὸς ὑμᾶς uel etiam audacius 3, 44 [cf. 30]: χρὴ δὲ δοκιμάζειν τὰς ἀρετὰς οὐκ ἐν ταῖς αὐταῖς ἰδέαις ἁπάσας, ἀλλὰ τὴν μὲν δικαιοσύνην ἐν ταῖς ἀπορίαις, τὴν δὲ σωφροσύνην ἐν ταῖς δυναστείαις, τὴν δ' ἐγκράτειαν ἐν ταῖς τῶν νεωτέρων ἡλικίαις.

p. 46, 19 καὶ τοῦ ὠφεληθῆναι πολλὴ ἀνάγκη αὐτοῖς ἐστιν ἐγνωκέναι ὅτι ἦν ⟨τι⟩ τὸ ὠφελῆσαν καὶ εἴπερ [ότε εκ ἴσω corr. A εἴ τι τ' M ὅτε editor non Graece] ἐβλάβησαν, τοῦ βλαβῆναι ὅτι ἦν τι τὸ βλάψαν. τὰ γὰρ τοῦ ὠφελῆσθαι καὶ τὰ τοῦ βεβλάφθαι ὡρισμένα οὐ πᾶς ἱκανὸς γνῶναι: neque enim imperitus nouit qui fines iuuandi et nocendi remediis naturaliter constituti sint. nam iuuant nocentque non tam ipsa remedia quam eorum usus uel parcus uel nimius [τῇ τούτων ταραχῇ p. 46, 19]. iam siquis ualetudine recuperata uitae rationes et remedia recte laudaturus uel incusaturus est, hoc artis est: εἰ τοίνυν ἐπιστήσεται ἢ ἐπαινεῖν ἢ ψέγειν ὁ νοσήσας τῶν διαιτημάτων τι οἷσιν ὑγιάνθη, πάντα ταῦτα τῆς ἰητρικῆς ἐστιν. omnia clara et plana neque recentiorum interpolationibus opus est. de tempore futuro in sententia condicionali cf. e. g. Herod. 4, 45.

p. 50, 1 τοὺς δ' ἐν τῇσι τῶν ἀποθνησκόντων συμφορῇσι τὴν τέχνην ἀφανίζοντας θαυμάζω ὅτεῳ ἐπαιρόμενοι ἀξιόχρεῳ λόγῳ τὴν μὲν τῶν ἀποθνησκόντων ἀτυχίην [ita A, ἀκρασίην M ἀψυχίην editor] ἀναιτίην καθιστᾶσι, τὴν δὲ τῶν τὴν ἰητρικὴν μελετησάντων σύνεσιν αἰτίην. ἀτυχία est siquis scopum propositum mente et consilio nouit, sed manu et actione non contigit [τὸ μὴ δι' ἑαυτὸν ἀλλὰ δι' ἑτέρους τινὰς ἢ διὰ τύχην μηδὲν ἐπιτελεῖν τῶν βουλευθέντων καλῶς ἀτυχίαν τίθει Anaxim. p. 24, 8 Sp., similiter Arist. rhet. A 13 p. 1374 b 5]. utinam igitur editor a litteris inepte rimandis abstinuisset, sed luculentum hoc uestigium reliquisset disputationum sophisticarum, quarum reliquiae facile agnoscuntur in Antiphontis tetralogia altera [cf. γ 8] et lepida illa irrisione quam contra Antisthenem sophistarum discipulum Plato in Euthydemo [p. 279 c sq.] instituit.

p. 54, 18 δύνανται δὲ οἷσι τά τε τῆς παιδείης μὴ ἐκποδὼν τά τε τῆς φύσιος μὴ ἀταλαίπωρα [ita A, ταλαίπωρα M et editor]. ne huic seuerae et ieiunae artis opusculo iocus risusque desit, facere non possum quin uersionem quam uerborum τὰ τῆς φύσιος μὴ ταλαίπωρα editor proposuit afferam: *Jene, deren Natur nicht widerstrebt.* ceterum siquis uestrum eiusmodi deliciarum amans est, eum moneo ut totam istam uersionem diligenter perlegat; haud leuem delectationem inde capiet. ut ad locum ipsum redeam, quicunque sophistarum et rhetorum saeculi quinti et quarti disputationes

uel obiter nouerit, facili opera in ista sententia tria illa fundamenta cuiusuis artis agnoscet, ingenium [φύσιν], exercitationem [μελέτην ἐπιμέλειαν ἄσκησιν πόνον], doctrinam [παιδείαν ἐπιστήμην μάθησιν]. postquam enim nobilitas Doriensium saeculo sexto discrimen constituit inter genus nobile [φυά] unicum uirtutis radicem sed exercitatione artium nobilium [μελέτα] excolendum et arrogantiam hominum uolgarium se per doctrinam et sapientiam non innatam sed ab hominibus traditam pares nobilibus fieri posse sperantium [cf. e. g. Pind. ol. 2, 94 sq. 9, 100 sq. multos alios locos], Iones et Athenienses nobilium principatui infensi idemque omnibus tribuendi studiosi uerba quidem retinuerunt, sed ita ut doctrinae multo plus tribuerent — obseruetis moneo quam acriter Protagoras pro imperio populari pugnauerit cum demonstrauerit uirtutem posse doceri — et φύσιν non ad generis nobilitatem sed ad ingenii naturam referrent [cf. e. g. Plat. Phaedr. p. 269 d Thuc. 1, 138 Isocrat. 13, 14. 15, 181 Xen. comm. 4, 2].

Multa restant in sophistae libello quae uel explicatione uel emendatione egeant, sed finem facio: satis multa enim prolata sunt ut et sophistae indoles atque ars et editoris opera atque sagacitas recte aestimari possit.

INDEX LECTIONVM

In ordine theologico

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O., 1) priuatim: historiae ecclesiasticae partem priorem quinquies p. h. h. IX; 2) priuatim: historiam doctrinae Protestantium quinquies p. h. h. X tradet.

Dr. Ludouicus Schulze, P. P. O., 1) priuatim: theologiam moralem quinquies p. h. h. XI—XII docebit; 2) priuatim: uitam et doctrinam apostolorum describet.

Dr. Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O., h. t. Decanus, 1) priuatim: euangelii Marci exegesin quinis p. h. scholis h. VIII—IX dedet et cum euangeliis Matthaei et Lucae comparabit; 2) priuatim: Pauli epistulam ad Romanos quinquies p. h. h. IX—X interpretabitur.

Dr. Ioannes Fridericus Hashagen, P. P. O., 1) priuatim: liturgicen et hymnologiam docebit quatern. per hebd. scholis; 2) priuatim: explicationem pericoparum euangeliorum practicam quatern. p. hebd. scholis tradet; 3) publice: exercitationes homileticas et catecheticas in seminario habendas moderabitur, quatern. p. hebd. scholis.

Dr. Eduardus Koenig, P. P. O., 1) priuatim: Regni diuini historiam antechristianam quinis primis cuiusque hebdomadis diebus hora VII narrabit; 2) priuatim: interpretabitur Psalmos necnon introductionem in poeticas partes V. T. omnes dabit iisdem diebus hora III.

In ordine iuridico

Dr. Franciscus Bernhoeft, P. P. O., 1) institutiones iuris Romani docebit quater p. h. h. X; 2) pandectarum partem III (ius obligationum) tractabit quater p. h. h. XI; 3) conuersatorium de pandectarum parte III (iure obligationum) habebit bis p. h. diebus Lunae et Martis hora XII; 4) practicum quod uocant ciuile instituet semel p. h. h. e.

Dr. Bernardus Matthiass, P. P. O., 1) historiam iuris Romani docebit quater p. h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii, Iouis h. XI—XII; 2) pandectarum partem IV (ius hereditatum) tractabit quater per h. scholis die Lunae, Martis, Mercurii, Iouis h. X—XI; 3) conuersatorium de pandectarum parte IV (iure hereditatum) binis p. h. scholis instituet die Iouis et Veneris h. XII—I; 4) exercitationibus exegeticis singulis p. h. scholis praeerit die Veneris h. XI—XII.

Dr. Hugo Sachsse, P. P. O., 1) ius publicum Germanicum docebit quaternis senisue p. h. scholis diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—VI; 2) conuersatorium instituet de iure ecclesiastico binis p. h. scholis die Martis h. IV—VI; 3) introductionem in Corpus Iuris Canonici enarrabit et selecta capita explicanda proponet studiosis iuris et theologiae binis p. h. scholis die Iouis h. IV—VI; 4) quaelibet in iuris publici disciplinis conuersatoria uel exegetica commilitonibus offeret.

Dr. Carolus Lehmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) ius commercii, cambiale, maritimum tractabit senis p. h. scholis cottidie h. IX—X; 2) ius ciuile Megalopolitanum docebit quinis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris h. VIII—IX; 3) fontes juris saxonici medii aeui interpretabitur singulis p. h. scholis.

Dr. Fridericus Oetker, P. P. O., 1) ius poenale docebit septenis p. h. scholis cottidie h. XI—XII, die Iouis h. X—XI; 2) processum concursus creditorum explicabit binis p. h. scholis, diebus Veneris et Saturni h. X—XI; 3) conuersatorium instituet de iure criminali binis p. h. scholis h. c.

In ordine medico

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., Academiae Senior, exercitationes practicas in clinico medico moderabitur h. X et dim. cottidie.

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice: encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iouis h. III—IV; 2) priuatim: physiologiae partem priorem (functiones uegetatiuas) cottidie hora IX—X tradet; 3) priuatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora VII; 2) operationes quae in arte obstetricia adhibentur ope corporum artificialium exercendas moderabitur ter p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. hora VIII moderabitur; 4) de partubus et aegrotis policlinicis disseret bis p. h. hora VIII; 5) aegrotas policlinicas demonstrabit hora II cottidie priuatissime.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem cottidie hora VII—VIII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadauera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris horis III—V; 3) exercitationum inquisitiones microscopicas et experimenta pathologica cottidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) de alimentis hominum disseret die Martis et Iouis h. XII—I; 2) pharmacognosin die Mercurii et Saturni h. XI—I tractabit; 3) exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio cottidie moderabitur h. IX—VI; 4) priuatissime sed gratis colloquium de rebus physiologicis et pharmacologicis offert die Iouis h. V—VII.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur cottidie h. IX—X et dim.; 2) cursum operationum chirurgicarum moderabitur cottidie h. V—VII.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) anatomiae systematicae partem II docebit cottidie h. XII; 2) osteologiam et syndesmologiam dd. Martis, Iouis, Saturni h. IX; 3) de anatomia generali disseret nec non exercitationes microscopicas habebit dd. Martis et Iouis h. h. V—VII pomer. d. Saturni h. VII—IX matut.; 4) anatomiam topographicam tradet dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. VII.

Dr. Rudolphus Berlin, P. P. O., 1) ophthalmologiam die Saturni hora XII—I docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora XII—I et dim. moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.

Dr. Iulius Uffelmann, P. P. E., 1) hygienes partem primam diebus Martis, Iouis, Veneris hora IV—V; 2) diaetam aegrotorum die Mercurii hora IV—V; 3) cursum theoretico-practicum uaccinationis die Mercurii hor. XII—1; 4) cursum practicum bacteriologicum de Iouis et Saturni hora XII—I moderabitur.

Dr. Theodorus Gies, P. P. E., 1) exercitationes practicas diagnoseos et therapiae chirurgicae diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XII—II; 2) cursum alligandi die Martis h. IV—V habebit; 3) chirurgiam specialem extremitatum diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—V enarrabit.

Dr. Fridericus Martius, P. P. E., 1) de neruorum systematis morbis bis p. h.; 2) cursum practicum aegrotorum inquisitionis, praesertim auscultationis et percussionis moderabitur bis p. h.; 3) de aegrotis policlinicis disseret.

Dr. Christianus Lemcke, 1) publice laryngis et nasi morbos bis per hebd. horis definiendis docebit; 2) priuatim: de aegrotis ambulatoriis ex larynge auditusque organis laborantibus disseret additis exercitationibus practicis laryngem et organa auditus rite inuestigandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—V et dimid.

In ordine philosophico

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., 1) priuatim historiam nationis Germanicae a Caroli V electione usque ad annum 1789 docebit quinis diebus h. XII; 2) priuatim historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Christum natum usque ad annum 14 post Chr. natum binis diebus h. XI; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas tradet binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., h. t. Rector, 1) historiam philosophiae qualis recentioribus temporibus exculta sit quater p. h. die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris h. IV—V; 2) psychologiam ter p. h. die Lunae, Martis, Mercurii hora V—VI; 3) historiam paedagogices inde ab renatis litteris ter per hebd. die Mercurii, Iovis, Veneris enarrabit.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) priuatim de terminis technicis disseret, quibus philologi theodisci utuntur diebus Lunae, Iovis, Veneris hora IX; 2) priuatim linguam goticam docebit simulque librorum sacrorum interpretationem ab Ulfila episcopo conscriptam explicabit binis p. h. diebus Martis et Saturni hora IX; 3) priuatissime palaeographiam theodiscam tradet bis p. h. horis adhuc definiendis; 4) exercitationes Seminarii germanici moderari perget, quibus „Helmbrecht" poëma Wernheri tractabitur ter p. h. diebus Mercurii et Saturni horis IX—X et X—XI.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., priuatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies per hebd. hora VIII; 2) dioptricam systematis ex superficiebus sphaericis centratis compositi tradet bis per hebd.; 3) exercitationes physices practicae quinquies per hebd. instituet hora III—IV; 4) priuatissime sed gratis exercitationes seminarii physicalis moderari perget die Saturni horis X et XI.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., priuatim 1) uaticinia prophetarum Hoseae, Ioelis, Ionae, Nahumi et Habacuci ter p. h. explicabit; 2) grammaticam linguae chaldaicae simul cum interpretatione chaldaicarum V. T. partium bis p. h. tradet; 3) selectos linguae arabicae textus bis p. h. et 4) selecta Targumim capita semel p. h. interpretabitur; 5) grammaticam linguae sanscriticae praecipua linguarum et graecae et latinae ratione habita bis p. h. docebit.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., priuatim 1) geologiam docebit sexies p. h.; 2) practicum mineralogicum ter p. h. habebit; 3) colloquium geographicum bis p. h.; 4) excursiones geologicos ducet priuatim et gratis.

Dr. Gustavus Koerte, P. P. O., 1) archaeologicae quae vocatur classicae elementa tractabit quaternis scholis diebus Lunae, Martis, Iouis, Veneris h. XII; 2) Philostratorum imagines interpretabitur bis per hebd. diebus Martis, Veneris h. XI; 3) exercitationes archaeologicas moderari perget binis scholis die Mercurii h. V—VII priuatissime sed gratis.

Dr. Guilelmus Stieda, P. P. O., priuatim 1) oeconomiae politicae partem secundam docebit quinquies p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris h. V; 2) exercitationes practicas die Saturni h. IX moderabitur.

Dr. Paulus Falkenberg, P. P. O., h. t. Decanus, 1) botanicen generalem quinquies h. VII docebit; 2) excursiones botanicas instituet publice cum Friderico Oltmanns collega; 3) exercitationes botanicas prouectiorum sueto more moderabitur.

Dr. Eduardus Schwartz, P. P. O., priuatim 1) Platonis Gorgiam interpretabitur bis p. h. diebus Iovis et Veneris h. X; 2) historiam prosae hellenisticae enarrabit ter p. h. die Martis h. X, die Mercurii h. XI—I; publice 3) de tragoedia attica iis qui philologiae operam non dant disseret semel p. h. hora postmodum constituenda; 4) in seminario philologorum Calpurnii eclogas interpretandos proponet et disputationes more solito moderabitur die Iouis h. VI VIII.

Dr. **Otto Staude**, P. P. O., 1) theoriam functionum analyticarum exponet diebus Martis, Mercurii, Iouis, Veneris h. XI; 2) applicationem calculi differentialis docebit iisdem diebus h. XII; 3) seminarium mathematicum habebit die Lunae h. XI—I.

Dr. **Augustus Michaelis**, P. P. O., 1) chemiam anorganicam quinquies p. h. docebit h. X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. h. moderabitur.

Dr. **Reinholdus Heinrich**, P. P. E., 1) de fundis inundandis exponet bis p h.; 2) plantarum culturae qualis nunc fit rusticarum elementa tradet quaternis horis p. h.

Dr. **Richardus Reitzenstein**, P. P. E., 1) priuatim inscriptiones latinas ad instituta reipublicae pertinentes tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii h. VIII—IX; 2) priuatim Vergilii Bucolica interpretabitur diebus Iouis et Veneris h. VIII—IX; 3) publice seminarii philologici sodalibus Hyperidis orationem funebrem interpretandam proponet die Lunae h. VI—VIII.

Dr. **Albertus Toehl**, P. P. E., priuatim 1) chemiam organicam ter p. h. docebit; 2) chemiam analyticam bis p. h. tradet.

Dr. **Julius Robert**, 1) quater p. h. linguam Francogallicam et docebit et studiosos in consuetudine Francogallice loquendi exercebit; 2) historiam litterarum Francogallicarum docebit quater p. h.; 3) de mutationibus linguae Gallicae inde a saeculo XII factis disseret quater p. h.

Dr. **Felix Lindner**, exercitationes anglicas moderabitur priuatim bis p. h.

Dr. **Fridericus Oltmanns**, 1) familias phanerogamorum systematice exponet, artem plantarum definiendarum docebit priuatim binis p. h. horis; 2) disquisitiones microscopicas instituet plantarum, quae ad vitae usum pertinent ternis p. h. horis; 3) gratis excursiones botanicas instituet cum Paulo Falkenberg professore.

Dr. **Paulus Moennich**, doctrinam de caloris natura ad motum reuocanda bis p. h. tradet.

Dr. **Ludovicus Will**, 1) repetitorium zoologiae instituet ter p. h.; 2) embryologiae comparatiuae secundam partem (vertebrata) tractabit bis p. h.

Dr. **Albertus Thierfelder**, 1) exercitationes liturgicas in seminario theologico moderabitur bis p. h.; 2) Ludouici van Beethoven opera pro clavicymbalo solo composita tractabit semel p. h.; 3) exercitationes cantorum academicorum moderabitur.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclaue secretarii** officiis destinatum cottidie h. X—XI patebit, musea autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cottidie h. XI—XII, zoologicum item cottidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur
Henricus de Stein, phil. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Carolus Fridericus Noesgen,** theol. Dr.
Iurisconsultorum **Carolus Lehmann,** i. u. Dr.
Medicorum **Hermannus Rudolphus Aubert,** med. Dr.
Philosophorum **Paulus Falkenberg,** phil. Dr.